

res. Petrus Hurdatus de Mendoza disp. 1. de Anim. f. 1. & alii nonnulli accipiunt illud in sensu posteriori: Verum nos cum Zabarella & Themistio in priori accipiendum esse autumamus, quod cum ipsis hunc in modum probamus:

*Quod tanquam potentia respicit animam tanquam actum informantem, illud non est totum compositum, Corpus nempe animatum, sed materia tantum, adeoque altera pars compositi physici; Sed corpus organicum (prout in definitione anime ponitur) respicit animam tanquam actum informantem, Ergo corpus organicum non est totum compositum corpus nempe animatum, sed materia tantum, adeoque altera pars compositi physici.*

Fundamentum probationis in minore desumitur ex ipsa definitione Animæ, quippe quæ per actum definitur, jam verò omnis actus importat essentialem respectum ad potentiam. Accedit & alia probatio, quia illud corpus organicum venit intelligendum, quod potentiam habet vitam: Jam verò corpus organicum pro altera corporis animati parte sumptum potentiam habet vitam, totum verò corpus animatum non potentiam, sed actu vitam habet, Ergo illud non hoc in præsentiarum intelligendum est.

§. 8. Denique in definitione additur δυναμιζων ἔχοντα & potentiam vitam habentis ubi rursus notandum se exhibet, τὸ potentiam vitam habere intelligi posse dupliciter: (1.) de vita in actu primo, quatenus scilicet id, quod ex se caret vita substantiali, ad eam recipiendam aptum natum est. (2.) De vita in actu secundo, quatenus nempe aliquid vitam quidem secundum actum primum habet, sed tamen non exercet ipso actu operationes vitales. Hinc locutionem hanc intelligendam esse non in posteriori, sed in priori acceptione antecedentia in §. 7. monstrant. In quibus dictum per corpus organicum h. l. non intelligi totum compositum seu corpus animatum, sed alteram saltem corporis animati partem, cui vita in actu primo ab anima communicatur. Hinc ita lubet argumentari:

Quod-